



~~Geschichte~~

~~II.~~

~~II.~~

24

Ne

zu 00

viel Angebundene

R

(1-24)

Mid. / Tafel

DESCRIPTIO

Pompæ funebris,

HABITÆ RODTSCHILDII,
IN EXEQVIIS SERENISSIMI AC

potentissimi Domini, Dn. FRIDERICI II. Daniæ,
Norvvegiæ, Gothorum Vandalorumq; Regis, &c.

Vna cum Epitaphijs nonnullis
in obitum eiusdem.

QVIBVS ADIBCTA SVNT

DESCRIPTIO SACELLI PROPE

Monasterium Segebergense in memoriam perpetuam

prænominatæ Serenissimæ Regiæ Maiestatis. & emolumentum

pauperum Segebergensium :

A B

HENRICO RANZOVIO, REGIO PER

Holsatiam vicario, proprijs expensis extructi, vna cum

marmorum lapidumq; eiusdem inscriptionibus ac Epigramma-
tibus, tam interioribus, quàm exterioribus.

*Nec non Epicedia quædam Friderici Ranzouij, ac Catharine
Ranzouie, dicti regij Gubernatoris, liberorum.*

I 5



8 8.



L I P S I Æ, Cum Priuilegio.

12



DESCRIPTORIO

Pompe iunctis

HABITAE ROTTSCHEIDT

IN EXEQUIIS SERENISSIMI AC

Potentissimi Domini, D. A. B. A. R. I. C. I. I. P. A. N. I.

Norwegiae, Gothorum, Vandalorum, Regiae

Vna cum Episcopis, nonnullis

in obitu eiusdem

QVINTVS ANTIQVA SVB

DESCRIPTORIO SACRILLI P. R. O. S.

Magistrum, Regiarum in numeris, P. R. O. S.

Primum, Regiarum, Regiarum, P. R. O. S.

Primum, Regiarum, P. R. O. S.

HENRICO RANOVIO P. R. O. S.


Hollandiae, Regiarum, P. R. O. S.

in numeris, Regiarum, P. R. O. S.

liber, cum meritis, P. R. O. S.

Et non, Regiarum, P. R. O. S.

Regiarum, P. R. O. S.



I

D E S C R I P T I O P O M P Æ
funebri, habitæ in exequijs Serenissimi
Potentissimiq̃ue Principis ac Domini, Dn.
FRIDERICI II. Daniae, Norvvegiae,
VVandalorum Gothorumq̃; Regis,
Schlesuici, Holfatiae Ducis, &c.

In qua exponitur.

*Primum, quibus ceremonijs Regium funus in
Sarcophagum impositum, ac Rodtschildium ad de-
stinatum sepultura locum deductum.*

*Deinde, qua pompa exequialis honoris ac cele-
britatis solennia ac iusta ibidem sint peracta, 5. Iunij
huius anni 1588.*

SERENISSIMVS REX DANIAE
hoc anno 1588, 4 Aprilis circa
vesperam inter quartam &
quintam in Regia arce Ander-
scou, sita in Schelandia, pie in Christo
obdormiuit. Quo pacto autem paulò an-
te Regia Maiestas rebus omnibus, quæ ad
morituros pertinent, pie & sancte com-
positis

positis Sacramento Cœnæ Dominicæ prouiso, in vera ac pia diuini nominis inuocatione firmaque in Christum fide, placidè, cōstanterq; vitam cum morte commutauerit, breui per eiusdem confessoem in lucē emittetur, vt omnibus innotescat.

Ipso die Paschatis Regium funus præstantissimo Balsamo conditum in Sarcophagum positum, velamine & serico villoso tectum, ac postea in atrio Regio supra pauimentum, atro panno substrato, constitutum est.

Sequenti 10. Aprilis idem funus Regium in præsentia præcipuorum Magnatum Daniæ, per Nobiles quosdam Regiæ aulæ ministros ex atrio in ædis sacre partem, quæ Chorus dicitur, deportatum, ibidemq; depositum est.

Suggestus autem, Chorusq; totus vnà cum sessionibus Magnatū, ac pauimento vndiquaq; atro panno obductus fuit. Supra funus tegumentum concauum in
forma

P O M P Æ F V N E B R I S. 3

forma tabernaculi, similiter ex atro p̄ano
confectū, expansum fuit, circa quod cerci
noctu dieq; ardentes 28. defixi fuerunt.

Funeri etiam Regio, quatuor nobiles Au-
lici, quatuor Equites Gregarij (quos *Ein-
spenniger* vocant) & quatuor satellites siue
Regij corporis stipatores, t̄a diurno, quàm
nocturno tempore custodiae causa adhi-
biti fuerunt tantisper, donec id 24. Maij,
sequētib; solennitatibus inde sublatū,
ac in oppidulū Ringstadium est deductū.

Præcesserunt funus omnes Presbyteri,
Ludimoderatores, Clerici, ac Scholastici
præfecturæ Anderscouuensis, prolixis a-
tris vestibus in terram dependentibus in-
duti, qui cātilenas funebres præcinuerūt.

Hos insecuti sunt 12 Tubicines equis
insidentes, omnesq; panno atro vestiti v-
nā cum Tympanista siue Æneatore.

Post hos equitavit Aulæ Marischallus,
cum omnibus Nobilibus Regiæ aulæ mi-
nistris, certo ordine dispositis, ita vt terni
simul gregatim incederent. Prius

Primum ordinem tenuerunt Marischallus Steno Malteszon, D. Georgius Comes in Gleichen, & D. Rudolphus Schenckius Baro de Tautenbergk, & fuerunt horum ordines circiter 18. omnes veste lugubri, ac pallijs longis induti.

Secuti sunt 30 scholastici, 30 candelas siue faces funestas præferentes, etiam pulati.

Hos comitati sunt duo Regij Heroldi, siue patres patrati cōsueto habitu ornati, duos atros baculos manu gestantes, quorum Equi etiam nigro panno fuerunt velati.

Deinde Regij stabuli præfectus Eustachius de Tunen cum reliquis seruis ac pueris Regijs, quorum aliquot ordines fuerunt.

Postea duo Cubicularij.

Proximè præcesserunt funus Georgius Ernestus V Vorm, Regiæ maiestatis Cubicularius, Christophorus Cariotus, pocillator,

P O M P Æ F V N E B R I S. f

Iator, & Caius Ranzouius, Henrici Regij vicarij filius.

Tandem processit Regium funus, Quod primùm, vt antea dictum est, preciosissimo balsamo inunctum, in arca lignea compositum fuit.

Deinde arca illa in Sarcophagum stanneum collocata.

Demum tertio lignea Sandapila inclusum est.

Integrum autem funus atro ferici villosi velamine intectum fuit, vtrinque clauiculis inauratis affixis.

In superiori parte funeris fuit crux argentea, effigiem Seruatoris nostri representans inaurata, sub cuius brachijs vtrinque duo Cherubin siue Angeli extiterunt, sub quibus in vno latere Regij Rithmi radiarunt.

Spes mea in solo Deo.

Item:

Fides est caro ferina,

Germa-

DESCRIPTIO

Germanicè, *Trew ist Wildpræde.*

In altero latere ex aduerso dictum sequens, ex Apocal. consolatione plenum: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Dicit Spiritus etiam, vt requiescant à laboribus suis, opera enim eorum sequentur eos.

Quæ omnia ex puro argento inaurato confecta fuere.

Sub cruce fulserunt insignia Regia ex puro argento inaurata. Sub quibus extitit longa lamina argentea inaurata, exprimens elegantibus literis maiusculis Serenissimi Regis diem natalem, annos regni, nec non annum obitus, tam latino, quàm germanico idiomate hisce verbis:

Hac tuba conditus est Serenissimus ac Potentissimus Princeps, Dn. FRIDERICVS II. Daniae, Norvvegiae, Vandalorum, Gothorumque Rex, Dux Schlesuici, Holfatiae, Stormariae atque Dithmarsiae, Comes in Olden-

Oldenborch & Delmenhorst, qui obiit Anduordskouij, 4 Aprilis, Anno Dn. 1588. cum ferè compleuisset annos 54. & regnasset annos 29. Cuius anima requiescat in pace.

Funus ipsum collocatum fuit in currum panno holoserico coopertum, in quo nituit Crux serica vel bombycina, fuitq; hic currus vectus octo equis, ferali panno vsque in terram velatis.

Post funus equitauit Serenissimæ Reginae aulae Præfectus Dethleucus Holckius, cum duobus Nobilibus Christophoro Rosengardt, & Doring Ramel.

Quos Regina curru vecta è vestigio secuta est, equis etiam panno atro instrato ingredientibus.

Post hos Regij liberi, tam Principissæ, quàm Principes iuniores curru delati sunt.

Quos comitati tres nobiles: Canutus
B Rudt,

Rudt, Predbiornus Bild & Tagge Krabbe.

Tandem vecti sunt curru electus Rex Daniæ Christianus, & Regiæ maiestatis suæ frater Huldalricus, fueruntque equi omnes pro his curribus, stragulis ex panno atro lugubri cooperti.

Deinde subsecuti sunt ordine Proceres siue Consiliarij regni.

Post hos Regij Gynæcei, Nobiles matronæ & virgines.

Post eas Præfecti ac subditi regni mediocri numero.

Fuerunt enim horum 22. ordines.

Deinde Primatum regni nec non aliorum nobilium Matronæ & virgines magno numero.

Hunc mulierum comitatum secuti sunt Prætores rerum Capitalium siue quaesitores & Regij Equites vna cum Consiliariorum ac subditorum regni ministris,
quorum

quorum numerus æquavit circiter mille equos.

Satellites vtrumq; latus Regij funeris nec non Reginae & Electi Regis Daniae in uersis versus terram armis longis indumentis lugubribus vestiti stiparunt.

Eoque die funus regium per quatuor miliaria versus Ringstadium delatum. Prope Oppidulum Ringstede regio funeri obuiam processerunt Præsbyteri ac Scholastici monasterij Sorensis, qui Hymnos exequiales præcinuerunt. Funusq; ad monasterium deduxerunt, vbi ex curru per Nobiles ad hanc rem ordinatos sublatum ac in ædem sacram illatum tandem adhibitis Ceremonijs magnificis depositum est, vbi iterum tabernaculum supra funus excitatum est cereis triginta circumquaq; appositis, ac id ipsum denuo in custodiam aliquot nobilium & Satellitum receptum.

B 2

Altero

Altero die in exportatione funeris pompa, priori planè similis celebrata, & quatuor milliarium iter versus Rodtschildium continuatum est.

Prope Rodtschildium iterum Canonici Vicarij, Presbyteri, Clerici, Ludimoderatores & Scholastici ex proximis paræcijs & Prouincijs Schelandia & Schandia Regio funeri obuiam sunt progressi, cantilenas funebres decantantes.

Adfuit ibidem magnus numerus Consulium, Senatorum & Ciuium ex proximis ciuitatibus, qui à porta vrbs Rodtschildiensis, per non exiguum spacium lugubri veste induti, ordine astitère.

Deducto itaque funere regio in ciuitatem ad Episcopale curiam, ab illis, quibus hoc negocij commissum fuit, in atrium quoddam vndiquaque pullato panno instratum, deportatum, ibidemque depositum est: vbi iterum dicto integumento triginta candelis cereis siue funalibus colu-

lucen-

lucentibus coopertum, ibidemq; custodia, vt supra vsque ad 5 Iunij commissum est.

Omnes etiam Equites tam regni consiliarij ac Nobiles, quàm reliqui serui ac pueri prolaxis pallijs vsque ad talos dependentibus. Equestris vero ordinis homines etiam pullis ex Syndone peplis supra pallium defluentibus vestiti fuerunt.

Et volunt nonnulli vestimenta lugubria Satellitibus, Cantoribus, Scholasticis, Pauperibus data, pannumque atrum parietibus templorum & atriorum regionum affixum, circiter triginta millia thalerorum constitisse.

Sequitur descriptio Ceremoniarum ac solennitatum in exequijs Regij funeris habitatum.

PRimum omnes Nobiles, tam aulici quàm subditi Regij, alijque ex equestri genere nati, quibus hoc negocij demandatum

datum fuit. Præfinito exequijs die circa horam septimam in Curia Episcopali conuenerunt, qui Campanis pulsatis regium funus inde extulerunt.

Præcesserunt omnes Doctores, Professores, Canonici, ministri verbi diuini nec non centum studiosi, qui regio stipendio in Academia Hassniensi aluntur: hi conuenientes Latinos Psalmos & Cationes præcinuerunt.

E vestigio his ordine Regiæ Maieſtatis Tympanistæ & Tubicines successerunt.

Post hos Regius Mareſcallus cum tota familia ibidem præsentium Principum, nec non cum aliorum Legatorum ministris ac subditis regni, quotquot horum nullum manus obeundum commissum fuit, numero fere 400.

Horum vestigia calcarunt 40. studiosi Hassnienses ex eorum numero, quibus, vt antea dictum est, Studiorum gratia annua

na stipendia conferuntur, cum quadraginta facibus pullatis habitu lugubri.

Post hos septendecim vexilla siue signa lento & moderato gradu gestabantur, nec non post singula vexilla equi atro panno circumdati, in quorum latere utroque Insignia horum conspecta fuere ducebantur à Nobilibus sequentibus etiam lugubri habitu amictis.

1. Vexillum sanguineum, die *Blutfahne*.
Gestavit: *Mauritius Podebusch*.

Equum duxerunt:

Nicolaus Schramme.

Johannes Rudt.

2. Vexillum in quo insigne *Oeseliense*
nempe *Aquila* fuit.

Henningius Goye.

Equum.

Nicolaus Podebusch.

Kield Iuel.

3. Vexillum cum insigni *Delmenhorstico*
quod est *crux alba*.

Nicolaus Frieß.

Equum.

Equum.

*Hartuicus Hoken.**Iohannes Falster.*4. Vexillum cum insigni Oldenburgico, quod
habet duas trabes rubras in campo flauo.*Iohannes Lindeno.*

Equum.

*Petrus Iuel.**Kield Brockenhuß.*5. Vexillum cum insigni Insulæ Fimbriensis,
quod est Corona flaua in Campo
cœruleo.*Martinus Weusterman.*

Equum.

*Christianus Guldenstern.**Melchior Vlffstandt.*6. Vexillum cum insigni Dithmarsico, quod est
Eques insidens equo candido in
rubro campo.*Canutus Grubbe.*

Equum.

*Tonne Brusck.**Holgerus Vlffstandt Gregerfen.*7. Vexillum cum insigni Stormariensi, quod est
Cygnus candidus cum aureo monili
in rubro campo.*Ger-*

*Gerhardus Ranzovius, Praefectus arcis Cronenburgæ
Henrici Regij Vicarij filius.*

Equum.

Ericus Vensterman.

Ericus Lunge.

8. Vexillum Holsaticum quod est candidum
vrticæ folium.

Godscalcus Alefeldius, heres in Emekendorff.

Equum.

Elerus Brusche.

Georgius Quitzow.

9. Vexillum Schlesuicense quod habet duos
flavos leones in campo cœruleo.

Laurentius Brockenhaus, praefectus arcis Nuborch.

Equum.

Ouenus Lunge Iuersen.

Jacobus Krabbe.

10. Vexillum Islandium cuius insigne est albus
piscis Islandicus coronatus in rubro
campo.

Iohannes Lange.

Equum.

Benedictus Ranzovius Tunderensis.

Iohannes Bernekovius.

C

Vexil-

II. Vexillum Gotdlandiæ, cuius insigne est
agnus gerens signum cruciferum in
campo rubro.

Axelius Brahe.

Equum.

Elerus Brockenhuesß.

Giordt Petersen.

12. Vexillum VVandalicum, cuius insigne est,
vt aliqui volunt, Draco.

Petrus Brahe.

Equum.

Esche Brock.

Ericus Lange.

13. Vexillum cum Leone & 9. Cordibus, quod
insigne aliqui Gothorum putant.

Christianus Munck.

Equum.

Christophorus Rosengardt.

Carolus Brusche.

14. Vexillum cum tribus coronis, quæ significant
tria regna & horum vnionem.

Ludouicus Munck Ludowigsen.

Equum.

Magnus Goye Falcksen.

Iuarus Munck.

Vexil-

15. Vexillum Norvvegicum, cuius insigne est Leo ascendens cum bipenni in rubro campo.

Antonius Fasse.

Equum.

Nicolaus Petersen.

Magnus Iuel Pallisen.

16. Vexillum cum tribus Leonibus cœruleis in campo flavo, quod regni Daniae insigne est.

Ericus Valckendorff.

Equum.

Iohannes Spiegel.

Esche Bilde.

17. Vexillum Regaliorum regni Daniae, in quo eius insigne integrè depictum fuit.

Georgius Bilde.

Equum.

Petrus Reze, praefectus Anderschouiensis.

Tagge Krabbe.

Secundum hæc vexilla Regiæ maiestatis caballus Regius totus pullo holoserico cū cruce alba cooper- tus ductus est à Christophoro Packsch & Regij stabuli praefecto Eustachius de Tuenen.

Hos consecrati sunt duo Regij Heroldi, regia insignia ferentes.

Deinde quatuor Primores siue Senatores regni Danici regalia gestarunt.

D. Georgius Rosenkrantzius, Heres in Rosenholm figuram orbis aurei.

D. Admiralius, Regni Petrus Muncke sceptrum.

D. Marischallus Regni, Petrus Guldenstern, gladium.

Et Cancellarius Regni, Nicolaus Kaes, heres in Tarup, regiam coronam siue diadema.

Post hos regium funus sub tabernaculo siue tentorio à sequentibus Nobilibus ad primariam ædem sacram delatum est, quorum nomina hæc sunt :

<i>Predbiornus Guldenstern,</i>	<i>Georgius Vrne,</i>
<i>Hannibal Guldenstern,</i>	<i>Olauus Daa,</i>
<i>Canutus Brahe,</i>	<i>Iohannes Rastrup,</i>
<i>Kone Quitzou,</i>	<i>Hermannus Iuel,</i>
<i>Vdalricus Sandtberg,</i>	<i>Henningus Reuentlouius</i>
<i>Woldemarus Parsberg,</i>	<i>Ouemus Lunge,</i>
<i>Tygo Brahe,</i>	<i>Godscalcus Budde,</i>
<i>Olaus Rosenspar,</i>	<i>Heinricus Lucke,</i>
<i>Ogge Vgerup,</i>	<i>Georgius Frieß,</i>
<i>Birge Rosenkrantz,</i>	<i>Iacobus Hoye,</i>
<i>Ericus Lange,</i>	<i>Gabriel Sparre,</i>

Laugo

<i>Laugo Vrne,</i>	<i>Heinrici Regij Vicarij</i>
<i>Biestrup Gidde,</i>	<i>filius.</i>
<i>Iohannes Vrne,</i>	<i>Andreas Thodt,</i>
<i>Axelius Rosenkrantz,</i>	<i>Nicolaus Clambeck,</i>
<i>Magnus Suabe,</i>	<i>Matth. Erichsen,</i>
<i>Franciscus Ranzouius, præ-</i>	<i>Nicolaus Hundert-</i>
<i>fectus in Silkenborch,</i>	<i>marck.</i>

Tentorium supra funus extulerunt nobiles
sequentes :

<i>Nicolaus Parsberg,</i>	<i>Georgius Ernestus VVorm,</i>
<i>Georgius Daa,</i>	<i>Magnus Goye,</i>
<i>Canutus Rute Erichsen,</i>	<i>Predbiornus Bild,</i>
<i>Absolon Inell,</i>	<i>Olaaus Bilde.</i>

In vtroq; latere regij funeris sequentium nobi-
lium quilibet magnum cereum arden-
tem gestarunt.

<i>Burchardus de Papenheim,</i>	<i>Fridericus Quitzow,</i>
<i>Andreas Dresselberch,</i>	<i>Magnus Guldenstern,</i>
<i>Tonne Rosenkrantz,</i>	<i>Holgerus Vlfstandt Ien-</i>
<i>Gulielmus Dresselberch,</i>	<i>Nicolaus Schinckel, (sen,</i>
<i>Fridericus Hobe,</i>	<i>(lius, Martinus Schenckel,</i>
<i>Ericus Bilde, Francisci fi-</i>	<i>Ioachimus Leeß,</i>
<i>Christianus Holck,</i>	<i>Biornus Saxtrup,</i>
<i>Christophorus Krasse,</i>	<i>Ewaldus Kruse,</i>
<i>Petrus Rudt,</i>	<i>Iacobus VVindt,</i>

<i>Johannes Brockenhuesß,</i>	<i>Christianus Krabbe,</i>
<i>Petrus Grubbe,</i>	<i>Alexander Durham,</i>
<i>Iacobus Trolle,</i>	<i>Henricus Goye Eschelsen,</i>
<i>Esche Krasse,</i>	<i>Ericus Bilde Steinsen.</i>
<i>Gabriel Kaasß,</i>	<i>Casparus Marckdaner,</i>
<i>Ericus Dresselberg,</i>	<i>Præfectus in Koldin-</i>
<i>Canutus Vensterman,</i>	<i>gen.</i>

Regium funus proximè secuti sunt:

Illustrissimus, Illustrissimiq̃ generis Princeps ac Dominus, Dominus Christianus, eius nominis Quartus, Dania, Norwegiaq̃, &c. Electus Rex, cum avo suo materno, Illustrissimo Principe ac Domino, D. Udalrico, Duce Megapolensi, Principe Vandalico, Comite Swerinensi, Regionum Rostoch & Stargardt Domino.

Secundum ordinem tenuerunt Illustrissimi Principes ac Domini, D. Udalricus & D. Johannes, heredes Norwegia, Duces Schlesuici & Holsatia, &c. Serenissima Regia maiestatis Dania relictæ filij, quorum alterutri natu minori propter ætatem teneram custodia causa adiunctus est D. Rudolphus Schenck, Baro in Tutenberg.

Post hos Principes ordine in funus prodierunt Principum Electorum, aliorumq̃ Ducum ac Dominorum Legati amplissimi sequentes:

Primo

Primo ordine, Illustris ac Generosus Dominus Otto, Comes in Solm, Abrahamus Bock, hæres in Kliphausen, & Georgius Vicethumb de Eckstadt, hæres in Kannenwurff, Principis Electoris Saxonie Consiliarij ac Legati.

Secundo ordine, Nicolaus de Uvisch, hæres in Glasow, Ducis Holsatiae Philippi, &c. Legatus. Et Ioachimus de Ortzen, Ducis Megapolensis Christophori Legatus.

Tertio ordine, Vicke de Bublow, Ducis Megapolensis Iohannis Legatus, in medioprogressus est.

Dextrum latus clausit Iohannes de Uvisch, praefectus arcis Tunderensis, hæres in Olpenitz, Principis Holsatiae Adolphi, Illustrissimæ memoria, relictæ viduæ Legatus.

Sinistrum verò Casparus de Ortzen, Ducis Megapolensis Iohannis Legatus.

Quos Legatos ordine Senatores Regni Daniae nec non Regia maiestatis Daniae in ducatibus Holsatiae Vicarius & Consiliarij una cum Megapolensium Principum Senatoribus secuti sunt:

1. Henricus Ranzovius, Regia maiestatis Daniae in ducatibus, Schlesuici, Holsatiae, & Dithmarsiae Vicarius, Consiliarius ac Praefectus Segebergensis, hæres in Bredenberg, in medio.

Ad de-

Ad dextram Jacobus Sehefeldius, Regni Senator, processit.

Ad sinistram VVarnerus Hane, Megapolensis Consiliarius.

2.

*Breido Ranzouius, Regni Senator Praefectus Insulae Langelandt, haeres in Ranzouisholm, in medio.
Ioachimus Crusius ad dextram.*

Ad sinistram verò Petrus Ranzouius, Regius Consiliarius ac Praefectus Flensburgensis, haeres in VVoldenhorn et Troieburga.

3.

*Albertus Friess, Senator regni Daniae, in medio.
Ioachimus Passewitz ad dextram, et
Georgius Sehestede, Regius Consiliarius, haeres in Nortsehe, ad sinistram.*

4.

Arnoldus VVitfeldt, regni Cancellarius, in medio.

Iohan. Blume, Regius Holsaticus Consiliarius, haeres in Sehedorp, ad dextram.

Et Iohan. Ranzou, Regius Holsaticus Consiliarius Praefectus Rendesburgensis, ad sinistram.

5.

Henricus Ramelius, Electi Regis aulae magister, in medio.

Henri-

Henricus Alefeldicus, Regius Holsaticus Consiliarius, hæres in Satropholm, ad dextram.

Dethleuus Brocktorpius, Regius Holsaticus Consiliarius, hæres in Schreuenborn, ad sinistram.

6.

Benedictus Alefeldius, Regius Holsaticus Consiliarius & Præfectus arcis Steinborch, hæres in Lemkullen, in medio.

Nicolaus Alefeldicus, Regius Holsaticus Consiliarius & Præfectus arcis Suabstede, hæres in Gelling, ad dextram.

Christophorus Ranzouius, Regius Hols. Consiliarius, hæres in Quernebeck, ad sinistram.

7.

Casparus Basilick, Regius Secretarius, in medio.

D. Vitus VVinsheimius, Regius Consiliarius & Decanus Hamburgensis, ad dextram.

D. Iacobus Bordingius, Regis Danici & Principis Megapolensis Consiliarius, ad sinistram.

Post hos lento grauiq; incessu processit Illustrissima, Illustrissimique generis Principissa ac Domina, D. Sophia, Daniæ, Norvvegiæ, &c. Regina vidua, luctu ac mœrore propè confecta, quæ ducta fuit

D

ab

ab Illustrissimo Principe ac Domino, D. Iohanne, hærede Norvvegiæ, duce Schlef- uici & Holfatiæ, &c. Regiæ maiestatis, il- lustrissimæ memoriæ, Domino fratre, ad dextram, Et Dn. Carolo Duce Megapo- lensi, ad sinistram, quæ omnium oculos in se conuertit.

Reginam secutæ sunt Regiæ maiesta- tis, illustriss. memoriæ, filia ac Principissæ, ex quibus Principissam Elisabetham Re- gni thesaurarius, Christophorus VVal- ckendorp, & Steno Brahe duxit.

Principissæ Annæ, Mandrup Pasberg, dextrum, & Ericus Hardenbergius, fini- strum, latus cinxit, vterque Regni Sena- tor.

Principissæ Augustæ, Hacke Vlfstandt, dextrum, Andreas Bing, sinistrum, vterq; Regni Senator.

Principissæ Hedvvigæ, Henricus Belo- uius,

uius, dextrum, & Axelius Guldenstern,
sinistrum, vterq; Regni Senator.

Post has Principissa Dorothea, illu-
strissimi Ducis Holsatiæ filia, tanquã pro-
ximè agnata, ingressa est, Corfitzio VVe-
fart, & Absolone Goye ductoribus.

Post has omnes tandem ducta est il-
lustrissima Principissa ac Domina, Dom.
Agnes Hedvvigis, ex stemmate Princi-
pum Anhaltinorum prognata, D. Iohan-
nis Ducis Schlesuici & Holsatiæ, &c. con-
iunx, ab illustri ac generoso D. Iohanne
Vdalrico, Comite in Mansfeld, & D. Ge-
orgio, Comite in Gleichen.

Post hanc vtraque aulae Magistra cum
virginibus vtriusq; Gynæcei.

Deinde has equestris ordinis nobiles
matronæ ac virgines longo agmine sunt
comitatae, quarum numerus excessit 300.

Postremo Consules, Senatores ac Ciues, qui ex oppidis vndiquaq; confluxerant, longo ordine agmen clauserunt. In ædem sacram ingrediendi præter equestris ordinis homines, academiæ Hassniensis Professores, Canonicos, Regios Cantores & dictos 40. studiosos, qui cereos funeri prætulerunt, nulli permissa est facultas, exceptis 4. regni senatoribus, qui regalia portarunt. Horum enim vnicuiq; vnicus tantummodo puer siue famulus huiusmodi seruitio obeundo idoneus, intromissus est.

Et ne templum nimia frequentia hominum impleretur, atq; hoc modo funebria officia ad sepulturam necessaria impedirentur, per totum diem valvæ templi occlusæ fuerunt, tantisper donec campana pulsaretur, regiumq; funus per vnicum saltem ostium apertum inferretur, pro quo Regij satellites mox constituti sunt, qui reliquos omnes ingressu prohibuerunt.

Cum

Cum itaq; Clerici ac docti viri, qui præ-
 cesserunt, templo appropinquassent, mini-
 stri verbi diuini, scholastici, centumq; stu-
 diosi Hafnienses de via deflexerunt, ac so-
 lummodo Professores, Canonici & Can-
 tores, nec non illi, quorum opera in can-
 delis ferendis vsui fuit, ingressi sunt, &
 prope Chori aram peculiarem locum oc-
 cuparunt, ne cui impedimento esse pos-
 sent.

Similiter etiam Mariscallus aulicis
 alijsq; Nobilibus significauit, vt se ad de-
 xtram partem templi reciperent, vt in a-
 rea regio funeri ac Principibus liber ac-
 cessus pateret, manibusq; regijs pia & ex-
 trema opera præstari commodè posset.

Cum itaq; tandem funus ad fores tem-
 pli peruenisset illi, qui gestandis vexillis,
 candelis, facibus & tabernaculo occupa-
 ti fuerant, ingressi sunt. Paulò post in pri-
 stinum quisq; locum se recepit. Cumq;
 Regium funus ad locum destinatū iuxta

D 3

aram

aram inter sessiones siue cathedras Principum deportatū esset, id vexillis ac candelis cinxere, prout etiam tabernaculum supra funus extulere.

Nobiles viri, qui equos duxerant, tradiderunt eos ministris suis, ad hanc rem deputatis, ac ipsimet ante funus regium ordini decenter sese ingesserunt, vt exequias funeris profecerentur.

Quatuor dicti Senatores regni ornamenta vel regalia eiusdem debita cum reuerentia aræ imposuerunt.

Cum Principes ipsi vna cum Legatis templum intrarunt, cuilibet horum nec non etiam regni Senatoribus alijsq; equestris ordinis hominibus certus locus est assignatus, interim etiam reliqui, latinos Psalmos & cantilenas cecinerunt.

Post hæc Theologus quidam ex suggestu latinam orationem recitauit, Deinde iteratis Psalmis ac cantionibus Germanicis, M. Christophorus, Regius concionatus

cionator aulicus, concionem funebrem Germanicè habuit.

Finita hac Concione denuò repetitæ sunt cantiones exequiales, ac mox Regiſum funus in locum destinatum ſiue conditorium maiorum comitantibus electo Rege, Principibus alijsq; Legatis delatum eſt, in quo ſacello & Chriſtiernus I. proauus, & Chriſtianus III. pater Friderici Regis, vna cum coniugibus Chriſtina videlicet & Dorothea (quæ ambæ ex familia Saxonica natæ ſunt, illa Erneſti Electoris Saxonix, hæc Magni filia ducis inferioris Saxonix & VVeſtphalix) reſurrectionem ad vitam æternam expectant. Sepulti ſunt præter hos in eadem eccleſia cathedrali in choro Haraldus Rex Daniæ, Angliæ, Norvvegiæ, Regina Daniæ Margarita, quæ Eſterith dicebatur, filia Iugonis regis Sueciæ: Sueno rex Daniæ, Angliæ ac Norvvegiæ, Margarita, filia VVolde-mari vltimi Regina Daniæ, Sueciæ ac Norvvegiæ.
Et

Et Episcopus Rotschildensis V Vilhelmus quorum nonnullis Regia monumenta erecta, inter quæ præcipuum est Christiani tertij ex alabastro & marmore, cuius in Germania vix simile inuenitur.

Quo pacto candelæ sunt extinctæ atque vna cum vexillis ibidem depositæ.

Deinde electus Rex Daniæ, nec non Regina vidua vnâ cum alijs Principibus, Principissis, Comitibus, Principum Legatis, regni Senatoribus, alijsq; Consiliarijs ac Equestri ordinis hominibus, ordine supra dicto in curiam Episcopalem reuersi sunt. Ac Regina quidem cubiculo suo non excessit. At reliqui tamen Principes, Principumq; Legati apud Ducem Vdalricum cum epulo funebri excepti sunt. Posteroq; die iter vnusquisq; ad suos conuertit.

DEVS omnipotens ac misericors ab hac regia domo ac regno huiusmodi tristes calamitates in posterum auertere, eamq; propter nomen Unigeniti filij sui Iesu Christi in felici rerum statu clementer conseruare dignetur. Amen.

E P I T A-

EPITAPHIUM

FRIDERICI II. DANORVM
Regis pijsissimi ac potentissimi.

QVI decus Europa, columen qui Teutonis ora,
Et firmus gelidam murus ad Arcton erat,
Cimbrorum tegitur Rex hac Fridericus in urna,
Quam simul exornat Martis & artis honor.
Pacis enim vindex & belli fulmen utrunq;
Laude pari iusto tempore rexit opus.
Attamen ut pacem bello praeferret honestam,
Auctor ei semper mens generosa fuit.
Hinc leges illo viguerunt Rege, nec ullum
Iusticia vicit Cimbrica regna forum.
Hinc Pietas, Musa, Pallas commune Themisq;
Arserunt Dano limen habere solo.
Ergo nec immerito tanti Septentrio Regis
Morte dolet, maesto concutiturq; metu.
Quae sit rebus enim vulgo fortuna videmus
Dum Sathanae toto perfurit orbe dolus.
Christidos hic almae studijs nutricius heros
Consilio fidam req; ferebat opem.
Ac utinam superet. Verbi foret hostibus horror,
Saeva premens ipso nominis orsa sono.

E Nunc



Nunc iacet ante diem properato funere mersus,
 Spes summas obitu debilitatq̄ suo.
 Sed sic fata ferunt, & sic incisa perenni
 Lex adamante Dei consiliumq̄ iubent.
 His parere decet iustumq̄, leuare dolorem,
 Quod licet ac Regis facta fidemq̄ sequi.
 Quatuor hic annos sceptrum fert quinaq̄ lustra,
 Indecorem Regno nec videt ulla dies.
 Lustra decem vite cum quatuor exigit annis,
 Immemorem Christi nec videt ulla dies,
 Illud honestatis decus, hunc pietatis amorem,
 Posteritas meritò semper honore colat.
 Cætera commendet, qui perficit omnia, Christo,
 Proteget ille suum, duxq̄ caputq̄, gregem.
 Is, quæ marcescet nunquam, super astra coronam,
 Imponit capiti, Rex Friderice, tuo.
 Is tibi, dum regni moderare superstes habenas,
 Maxima dona dedit Pacis, Honoris, Opum.
 Hæc tibi dona manent, ac fausti nominis omen
 Ex omni tandem parte beatus habes.
 Nec tua fama silet, vitam post funera virtus
 Sumit, & extremos effugit alta Rogos.
 Iamq̄ tuo tumulo certatim munera Muse,
 Et Themis, & Pallas Relligioq̄ ferunt.
 Cinctaq̄ victrici maiestas Regia palma

Pro

*Pro tumba custos peruigil ipsa sedet.
 Pax quoq; Palladijs fertis viuos amaranthos
 Intexens, tales personat ore modos:
 Æternum salue, Rex laudatissime, nostri
 Temporis æternum, Rex Friderice, vale.*

Christophorus Siluius
 Hamb.

E L E G I A

HEINRICI RANZOVII

AD

Daniam orbatam Rege Friderico II.

S I prius illa fuit luctus tibi Dania causa,
 Causaq; mæroris si prius vlla fuit.
 Flebilis irriguos nunc Dania solue capillos,
 Fataq; iam regis tristia plange tui.
 Occidit heu subito tibi Rex Fridericus in annos,
 Qui Pylios meritò viuere dignus erat.
 Et placida pacis qui nomen & omen habebat,
 Qua populi rexit Danica sceptru tui.
 Qui maris & terra Dominus fuit acer ad Arcton,
 Externisq; simul Regibus horror erat.

E 2

Cuius

Cuius et inuidias experta est Suecia vires,
 Et Dithmarsa suo terra subacta iugo.
 Produxit similem cui vix Europa Monarcham,
 Qui patriæ clemens Rex fuit atq; pater.
 Rege sub hoc semper tu Dania tuta fuisti,
 Extulit hic verè nomen ad astra tuum.
 Rege sub hoc pietas, virtus, pax floruit alma
 Rege sub hoc vixit dextra fidesq; diu.
 Rege sub hoc etiam culta est Astræa decenter,
 Hospitium Musis præbuit ille sacris.
 Propterea hunc meritò fas est lugere peremtum.
 Iustaq; nunc planctus Dania causa tui est.
 Attamen immodico nimis indulgere dolori
 Quid iuuat? hoc etiam sæpè nocere solet.
 Solus enim nutu disponit cuncta potenti,
 Quem tremuit iratum terra polusq; Deus.
 Ipsius arbitrio modò te submittere fas est,
 Et placidè sortis munera ferre tuæ.
 Cum volet, in melius Deus hic mala cuncta reducet,
 Successuq; dabit prosperiore frui.
 Tu modò consilijs minimè refragare Senatus,
 Post obitum Regis, qui tua sceptrà reget.
 Intereaq; Deum votis ardentibus ora,
 Ut Proles maneat regia salua diu.

Defun-

*Defuncti³ patris vestigia iusta sequatur,
 Quod faxit nutu, qui regit astra, Deus.
 Lux precor hæc veniat felici sidere læta,
 Interea felix viue valeq³ diu.*

Q V E R E L A

Bartholomæi Stockmanni Regij Musici,
 in obitum Regis Daniæ, Friderici II,
 effusa & quinque vocum Harmonia
 composita.

*Plangite Piërides, lugubres edite voces,
 Et mæsta lacrymis ora rigate pijs.
 Occidit ille sui, Rex præstantissimus, cui³
 Rex pius, et verè Religionis amans.
 Dania felici quo floruit inclyta Rege.
 Pacis enim custos iusticiæq³ fuit.*

DESCRPTIO SACELLI
RANZOVIANI

*Quam exteriori parte huius monumenti si-
mulachra angelorum alatorum opere
statuario confecta ex marmore
& inaurata.*

IN Sacelli meditullio ara ex lapide viuo
filicio Holfatico erecta est, VII. pedes
longa, duos & dimidium lata & crassa.
E regione versus Orientem supra ostium
elegantè pictum est nomen Iehouah, &
effigies seruatoris nostri pendentis in cru-
ce, & ei insidentis columbæ specis cum
his versibus:

*Ipsam tu Christum, quem crux designat adora,
Atq; tuam placide ferre memento crucem.*

Spacia super cæteris ostijs interiora ex-
hibent bella à Friderico II. Daniæ Rege
gesta: nempe Dithmarforum ipsi & pa-
truis ipsius Iohanni & Adolpho Holfatiæ
Duci

Ducibus factam subiectionem, eorumq;
iuramenti præstationē: bellum tam mari
quàm terra cum Regibus Sueciæ gestum:
Elsburgensis arcis expugnationē: Helm
stadij oppidi liberationem: VVarbur
gensis arcis recuperationem: Astorffhei
densem conflictum & dimicationem: ac
tandem inter ipsum & Regem Sueciæ Io
hannem pacificationem: nec non insulæ
Liunionensis Oesel recuperationem: auxi
liorumq; vrbi Dantiscanæ missorum de
signationem: Tandem arcium & nauium
nouam extruccionem: viarum publicarū
apertionem & refectionem, horum ha
ctenus neglectorum culturam: diuerso
rum ædificiorum, quæ vetustate, vel vitiū
fecerant, vel collapsa fuerant, instauratio
nem: Deniq; cum relictis Regnis ac duca
tibus suis flotentissimis, amplissimis the
sauris, classe instructissima & bellicis tor
mentis plurimis, pij ac placidi obitus,
pompæ

pompæ funebris Rodtschildiæ in exequijs
ipfius habitæ delineationem.

Structura monumenti neq; latere, neq;
que cœmento, neq; ligno constat: fed ma-
teriam illi fuppeditauit calcifodina Sege-
bergenfis. Hinc enim eruta calceuiua &
fufili reddita, quafi ex vno folido lapide
eft compactum monumentum miro arti-
ficio & fine columnis, fine trabibus, fine
tranftris, fine tecto imbricato, totum al-
bario opere expolitum.

Foris in quatuor extremitatibus ædi-
ficij fummo loco, quod in culmen fur-
git, corufcant quatuor parua marmora,
efformata in modum adamantis aculea-
ti. In apice ipfo micat globulus marmo-
reus expreffione vuarum inauratarum ex-
ornatus, in cuius fummitate extat penni-
culum inauratum.

Interius ex aduerfo quatuor locis hæ-
rent fornicibus affixa quatuor parua mar-
mora quadrata, in cuspitem definentia.

In

In medio Cryptæ globulus marmoreus extraneo respondens dependet.

Cæterum in quem finem hoc monumentum sit conditum indicant marmorum inscriptiones tam interiores, quàm exteriores: quarum unumquodque; latus exterius ternas, interius vero binas exhibet.

In parte Australi intima propositæ sunt sequentes leges ingredienti sacellum cognoscendæ & observandæ.

Hoc sacellum ne eius violetur religio ingrediens hæc observato leges.

DEVM OPT. MAX. TRINVM ET VNVM ante aram flexis genibus adorato.

Manibus immundis nihil cõtractato.

Omnibus lustratis, quæ saxis incisa sunt, perlegito.

His peractis FRIDERICO II. Regi Daniæ de placido obitu & vitæ immortalitate gratulator.

F

Et

Et filio eius Christiano *IIII.* cæterisq; Principibus Holfatiæ, &c. gubernationem piam pacatamq; exoptato.

Secundū illos HENRICO RANZOVIO, eius liberis, posteris, familiæq; vniuersæ successus salutare atque prosperos precator.

Hosq; omnes discedens DEO OPT. MAX. commendato.

Mortalem deniq; te esse memento, & vitæ spacium, quod omnibus natura circumscripsit exiguum, sanctissimè honestissimeq; conficito, vt moriens viuas in omnem æternitatem. Valeto, & nunc in pace discedito.

In parte Septentrionali itidem intima Henrici Ranzouij querimonia se offert & eiusdem consolatio.

Quere-

Q V E R E L A

HENRICI RANZOVII.

Subsiste hac intuens &

*Mibi Henrico Ranzouio Regum Daniae,
Christiani III. & Friderici II. quondam & nunc
Christiani IIII. in Ducatibus Holsatiae, &c.
Vicario, LXIII. annum aetatis agenti
pro pietate tua con-
dolet.*

V Nius enim anni spacio orbatus sum
Friderico^a Duce Holsatiae, &c. Domi-
no meo, filia^b Catharina in Dania, filio
Friderico natu tertio in Gallia nepte Ca-
tharina^c ex Olgarda filia, in Germania, nec
non duobus fratris mei Pauli filijs Danie-
le^d in Gallia & Iohanne^e in Polonia.

Tandem etiam^f Friderico II. Rege Da-
niae, &c. Domino meo clementissimo,
non tantum rege, sed patre patriae, cuius
Europa vix iam habet pietate, virtute,
F 2 magna-

^a Anno 87.
15. Iun.

^b Anno 87.
26. Maij.

^c Anno 88.
20. Ianuar.

^d Anno 87.
24. Nouem.

^e Anno 88.
23. Ianuar.

^f Anno 88.
4. Aprilis.

magnanimitate, fortitudine in rebus gerendis & consiliorum fœlicitate similem, qui omnes longè distitis locis mortui, resurrectionem, vitamq; cœlestem coniunctim expectant.

Iam egomet dissolutionem mei corporis, vt seruus Dominos, pater liberos, auus neptem, & patruus fratris filios præpostero planè naturæ ordine præcedentes, ad vitæ æternæ societatem, quamprimum sequar, auidè pieq; desiderans exopto.

NVLLA CALAMITAS SOLA

Interim huius expers lector viue, vale, prosperiori fortuna vttere, quod tibi ex animo precor.

*Marmoris hoc vacuum lacrymis impleto viator,
Si pietas animum commouet vlla tuum.*

HENRI-

HENRICVS RANZOVIVS
consolatur semetipsum.

Ipse ego sic casus terræ, tristesq; ruinas
Consolor, damnis contraria lucra rependens,
Terra est hospitij domus, est mihi patria cælum,
Aduena sum terris, hæres ac ciuis Olympo,
Hic parvus dolor est, illic immensa voluptas,
Fide igitur mea mens, & fer quodcunq; ferendum est,
Mox tibi finis erit, requies petita laborum.

Cæteræ partes inferiores ab inscriptioni-
 bus etiamnum vacuæ sunt.

O R I E N T A L I S P L A G A
hasce inscriptiones extrinsecus
obtinet.

D E O T R I N O E T V N I
S A C R V M.

Friderico II. Christiani III. Regis filio,
 Friderici I. Regis nepoti Christiani I. Re-
 gis pronepoti, Danorum, Norvvegorū,
 F 3 Gotho-

Gothorum & Vandalorum Regi, Schlef-
uicensium, Holfatorum, Stormariorum
& Dithmariorum Duci, &c. optimo, for-
tissimo & victorioso Principi, Domino
suo clementissimo, Anno Christi M. D.
LXXVIIIX. 4. Aprilis, ætatis anno 54.
defuncto HENRICVS RANZOVIVS,
Regiæ suæ Maiestatis in Ducatibus Hol-
latiæ Vicarius mœrens dolensq; , debitæ
gratitudinis ergò, in memoriam perpe-
tuam honoris & virtutis Maiestatis eius-
dem hoc Sacellum F. F.

*FRIDERICVM II. REGEM
Daniæ alloquitur H. R.*

*Qui caput Europa, qui Martis & artis ad Arcton,
Qui Iuris columen, qui pietatis eras,
Hunc tibi Rex tumulū, Friderice, Henricus, honoris
Ranzovius, soboli constituiq; mea.
Uno namq; Senex anno sex funera plango,
In quibus, heu, summus, sunt tua fata, dolor.
Id testor, tu diue meum ne despice pignus,
Sic tuus ex meritò te tueatur honos.*

AD

QVERELÆ.

45

AD VIATOREM.

*Non hæc vel viuo vel cocto fabrica constat
Saxo nec ligno. Facta sit unde rogo?*

CID. ID. XXCIIX.

HENRICVS RANZOVIVS

ad

Sereniss. Regem Daniæ Fridericum II.

*Dum tibi vita fuit, felici sorte fruebar,
Est nunc per mortem sors mea versa tuam,
Conficior curis lacrymarum in valle relictus,
Te sine plena graui vita dolore mihi est.
Accipe supremos Rex, quos largimur honores,
Præstiterat nostro te superesse rogo.*

Ad posteritatem.

*Aspice posteritas Friderici in regis honorem,
Quod posuit donum generoso sanguine natus,
Henricus Ranzou, quod non sententia mortis
Vincere, sed poterit longæua abolere vetustas.*

1 5 8 8.

PARS

*PARS OCCIDENTALIS
 continet Donationem huic Sacello addictam
 tam Latino, quàm Germanico
 Idiomate.*

IEHOVÆ DEO SACRVM,

Ego HENRICVS RANZOVIVS, Danorū, &c. Regis Vicarius, Dominus arcis Bredenbergæ do, lego dariq; volo quot annis tertia feria Pentecostes, peractis sacris, & proximè sequentibus tribus diebus per Presbyteros & Diaconos huius oppidi Segebergensis (quos coniunctim eius rei dispensatores certo laboris præmio constituto ordinaui) ante hoc Sacellum ad refectionem centum pauperum, Præfecturæ Segebergensis, Eleëmofynas anniuersarias, ex redditibus cuiusdam pecuniariæ obligationis, ipsorum fidei traditæ, residuamq; horum reddituum partem ad reparationem huius Sacelli, quoties-

quotiescunq; necessaria fuerit, conuerti:
 Ea tamen lege ac conditione, vt illi redi-
 tus à Diaconis, ad nullos alios vsus con-
 ferantur, nec alio loco Eleëmofynæ distri-
 buantur. Quod si factum fuerit, hæredi-
 bus, posteris, familiæq; meæ Ranzouianæ
 concessi potestatem, huic Sacello addi-
 etam Donationem reuocandi, reditusq;
 ad alios pios vsus transferendi.

Et licet hanc formam dispositionis
 acta sigillata plenius contineant: tamen
 eius tenorem ad fidem harum rerum po-
 steris faciendam huic tabulæ quoq; incidi
 placuit.

D Er heiligen vnzertheilten Dreyfaltigkeit /
 vnd einigem almechtigem G^ott zu ehren /
 vnd dem Durchleuchtigsten / Großmechtigen / vnd
 Hochgebornen Fürsten vnd Herrn / Herrn Friede-
 richen dem Andern zu Denmarcken / Norwegen /
 der Wenden vnd Gothen König / Herzogen zu
 Schleswig / Holstein / der Stormarn vnd Dith-
 marschen / Graffen zu Oldenburg vnd Delmen-
 horst / &c.

horst / etc. zur ewigen gedechtnis / vnd den nach-
 kommenden Armen zum besten / hab ich Heinrich
 Kankow / Herrn Johannis Sohn / in den Fürsten-
 thümen / Schleswig / Holstein / Stormarn / vnd
 der Dithmarschen Stadthalter / Erbgessen zum
 Breitenbergk / Kankowisholm / etc. diese Capelle
 erbauet vnd gestiftet / das hierbey Hundert Ar-
 men aus dem Ampt Segeberge sollen Jährlich
 des Dinstages in den Pfingsten / vnd die nachfol-
 gende Drey tage / nach geendeten Ceremonien /
 milde Almosen außgegeben werden / Darzu denn
 ewige Kenthe von Mir verordnet / Wie auch zu
 vnterhaltung dieser Capellen Gebewdes. Vnd
 sollen der Pastor, Diaconi vnd Kirchendiener die-
 se Almosen bey dieser Capellen den Armen aus-
 theilen: Vnd meine Erben vnd Geschlechte dar-
 auff sehen / das es also nachfolgende zeite / vnd in
 dieser ordnung diß Gebewde erhalten werde.

Wo fern aber den Armen auff benendte zeit /
 vnd an diesem Orte / solches nicht außgetheilt wür-
 de / vnd das Gebewde nicht vnterhalten / So sollen
 meine Erben / Nachkommen vnd Geschlechte die
 Kankowen macht haben / diese Stifft zu reuocie-
 ren / vnd in andere Christliche wege anzulegen vnd
 zuver-

zuverordnen. Und ob wol hierauff sonderliche
 Verschreibung gegeben vnd auffgerichtet / So hab
 ich doch zum vberflusz vnd zu ewiger gedech-
 niß vnd memorien den Inhalt derselben
 kurz in diesen Stein hawen
 lassen.

*In Australi parte extrinsecus videre licet se-
 quentem Inscriptionem, & Solarium
 vnum in plano descriptum
 cum versibus.*

DEO OPT. MAX. POSTERI-
 TATIQUE SACRVM.

D. D. D. D. FRIDERICO I. CHRIS-
 TIANO III. FRIDERICO II. &
 CHRISTIANO IIII. proauo, auo,
 patri ac filio, quatuor ex ordine Danorum
 Regibus victoriosis ac potentissimis, de se
 & suis optimè meritis HENRICVS

G 2

RAN

RANZOVIVS trium posteriorum in
 Ducatibus Holsatiæ, &c. Vicarius, sub-
 iectissimæ obseruantiaæ ergò. Anno Do-
 mini CIO. IO. LXXVIII. Ætatis suæ
 LXIII. fieri curauit.

I N S O L A R I V M.

*Hic tibi cum numero spectantur nodus et umbra,
 Quæ tria quid doceant commemorare libet.
 Umbra notat dextrè, quota cursitet hora diei,
 Hincq; monet vitam sic properare tuam.
 Ast in quo signo magni lux publica mundi
 Versetur, mira nodulus arte docet,
 Si vis scire dies quot quilibet occupet horas,
 Id numerus media sede locatus habet.*

SEPTENTRIONALIS PLAGA
 habet has inscriptiones.

IEHOVÆ DEO SACRVM
 DEVS OPT. MAX.

Mentem

Mentem, animum, cor ipsum atq; animam voti reus
 iure dedico tibi ego Henricus Ranzovius &
 FRIDERICO II. REGI DANORVM,
 Friderico Duci Holsatia Dominis suis,
 Friderico Ranzovio filio suo,
 Vnius anni spacio,
 Præpropera morte sublatis
 Obnoxia piaq; affectione
 Contra votum posui,
 Anno Domini 1588.
 Agens annum ætatis 63.

ACROSTICHIDES

In obitum Friderici II. Danorum
 Regis.

FR actum obiit fato nostrum decus illud & illud
 I ngens Teutonia fulc Rum, cum ter duo lustr A
 DE mpto anni spacio & Eluti venerabile nume N
 R egna salutifero sua REXERat undiq; sceptr O
 I nterea miseri hac mis Era qui valle tenemu R
 Curarum, vario Replemus sidera flet V
 VSq; malis certam statuent sacra numina meta M.

*ÆNIGMA CONTI-
nens annum obitus.*

*Quot Deus explevit cælum terramq̄ diebus. 6.
Anni quot vixit tempora primus Adam 930.
Quot periere rubra currus Pharaonis in unda 600.
Quot genuit Iacob pignora mascla thori 12.
Quot Sinai Dominus leges in vertice sanxit 10.
Quot Samson rigido perdidit ense viros. 30.
Annos in numerum tot collige lector habebis
Quo, mortem Dania Rex Fridericus obit.*

Videlicet Anno Christi

1588.



Sequun-

53
Sequuntur

EPICEDIA CATHARINÆ

& Friderici Ranzouiorum.

ITZEHOAE

CATHARINÆ RANZOVIAE,

Friderici Alfeldici vxori, post vnus diei
morbum, subitæ mortis casu abreptæ, cum
vixisset annos *XXIII*. Menses *V*. dies
XIII. horas *IIII*.

HENRICVS RANZOVIVS VICARIVS

REGIVS, ET CHRISTINA AB HALLE,

parentes præpostero naturæ ordine in senio su-
perstites relictî, insperatum hoc monumen-

tum mœrentes posuere, Anno

Domini 1587.

H *Enricus Ranzo, Daniae qui nomine Regis
Holsatiam magna dexteritate regit.*

Ipsius & coniux Halleæ gloria stirpis,

Gratum quæ Christi nomine nomen habet.

Ambo dedere suæ monumentum hoc nobile nata,

Cum rigida mortis falce resecta fuit

Hæc Catharina fuit Friderici nupta Alefeldi,

Quæ tulit hanc ipsi mors inopina fuit.

Tres

Tres *¶* viginti vita transegerat annos,
 Menses præterea quinque diesque decem,
 Tres dictis superadde dies cum quatuor horis
 Præpropera dices morte soluta iacet.
 O insperatum monumentum hoc ordine prolis
 Turbato, mæsti quod posuere senes.

CATHARINA RANZOVIA
 alloquitur parentem.

Care parens noli nimis indulgere dolori,
 Quod me fata citò surripuere tibi.
 Iusta, quidem, quod sum proles iam tertia, morte
 Quæ rapitur subita, causa doloris adest.
 At tibi subueniat rursus, quod chara relinquo,
 Quæ minuunt luctum, pignora trina tibi.
 Hæc fidei committo tuæ, cari que mariti,
 Vobiscum que opto salua manere diu.
 Ipsa ego non cupio vitam reuocare priorem,
 Nam fuit hæc multis obruta sæpè malis,
 Quorum nunc expers, cum sanctis gaudia cæli
 Percipiens, vita prosperiore fruor.
 Et mihi mortalis lux quæ fuit ultima vita,
 Prima salutiferæ lux *¶* origo fuit.

Interea

*Interea tu care parens materq̄ valete,
Cumq̄ tribus natis care marite vale.*

ALIVD,

Defuncta loquitur.

*Hæc ego Friderici coniunx Alfeldis in urna
Dormio, Ranzovia lux Catharina domus.
Nam patris Henrici, Christine gaudia matris,
Corq̄ viri thalamo pignora terna dedi.
Sed tantum addideram tres lustris quattuor annos,
Quod vita dici ver geniale queat.
Cum velut è latebris subito me conficit ictu,
Ut pariat luctum mors truculenta meis.
Quid vero nocuit? docuit me sanguine Christi
Quod mundata nitens sum Catharina Deo.
Ergo flere licet non indulgere dolori,
Flebile nam funus, nobile fœnus habet.
Hanc pater, hanc genitrix, hanc te dulcissime con-
Hanc vos filioli spem recreare volo. (iunx
Id, si cara fui, date mi, pariterq̄rogate,
Ut mea, dum surgam molliter ossa cubent.*

H

Catha-

Catharina	[nata Sege- berga] est anno	[1563.13. Dec.

Vixit igitur annos 23. Menses 5. dies 10.

Epitaphium

FRIDERICI RANZOVII IN
oppidulo Galliaë Collevvre apud Bituri-
ges sepulti, quem pater Henricus Ranzov-
ius antea in oppido Lotharingie Nantzij,
humatum iri putauerat, Lutetiaë Paris-
siorum factum. Anno
Christiano

M. D. LXXXVIII.

Fridericus Ranzovius Holsatus
Patre natus nobilissimo & amplissimo viro.
HENRICO RANZOVIO
SERENISSIMI DANIAE REGIS
Consiliario, & in Holsatia legato

Domino

Domino hereditario in Breitenburg & Drakenburg,
Patris nempe fortissimi genuina virtute filius.

Familiae columen, patriae lumen,
Equitum sub comite Bassonpiero Magister,
Dum secunda Christianissimo Regi Galliarum sti-
pendia meret,

Et fugatis hostibus rariori comitatu, castris longius
abscedit,

Naturae debitum latronum sceleri persoluit,
Et mortalis corporis mortales exuuias cum stola cæ-
lesti commutavit

Eas per Magistratum horum locorum honorificè
collectas

Et postea à Nobiliss. viro Andrea Plessio cogna-
to cognitas

Mærentes amici huic tumulo mandauère.

Patria procul, patre procul

Procul sepulchris paternis

An hoc ille infelicior?

Non est non est viator.

Cur?

Fortibus & pijs omne solum

Vt patria est, ita sepulchrum

Et hoc si didicisti

Viator. A B I.

H 2

Aliud.

ALIVD.

Viator. Genius.

Quis cubat hîc? G. Holsatus Eques vernante sub ævo
 Quem dirus Stygia sustulit arte dolus.

V. Quod fuit huic nomen? G. Friderico. V. quod genus.
 Ranzouia natus sanguine gentis erat, (G. alto

V. Quis pater? G. Henricus Danorum Regis in agro
 Qui tenet Holsato notus ad astra locum.

V. Inde quid huc venit? G. Gallorum Regis in arma.
 Arsit enim Martem laudis amore sequi.

V. At qua principio dicebas arte peremptum
 Tam florentem annis ortu animoq; virum?

G. Fulmineis, eheu, scloporum glandibus ictum
 Usa latrocinio turba dedere neci.

V. Proh scelus insidijs succumbit Martia virtus.

G. Quin si fraude carent vulnera, laude carent.

V. Quid loquar? G. Ulterius ne quære viator, abito,
 Cum lubet, hîc prohibet longius ire dolor.

Dic tamen abscedens: non sit grauis urna sepulto
 Dum vindex anima copulet ossa Deus.

ALIVD.

Nobilis Holsati Friderici nomine Ranzou,
 Ossa sub hoc vili marmore tecta iacent.

Spes

Spes patriæ, columen gentis, dum fata sinebant,
 Exemplumq; Equitum nobile semper erat.
 Flore sed ætatis globulis traiectus in ipso,
 Dum sequitur fortis Gallica castra perit.
 Et sic militiæ terrestres signa relinquens,
 Iam sequitur summi cœlica castra Dei.

A L I V D.

Æquaturus auum Mauortis honore Ioannem,
 Occidit in Vegeto Fridericus flore Iuuenta
 Ranzouius: fallens spem magni nominis: ipse
 Cognatis, Regiq; suo, quem fortibus ausis
 Fecerat. O nimium spes est humana caduca,
 Sic Seges Agricole fallit speciosa laborem,
 Grandine cum subita à culmis quatiuntur ariste.

Fridericus	{ natus Sege- bergæ mortuus in Gallia }	{ est anno Domini }	{ 1557.31. Octob. hora 6.
			{ 1587.9. Decē. stylo nouo. 29. stylo vete- ri.

Vixit igitur annos 30. dies 29.

H 3

Copia

Literarum Sereniss. Regis Daniæ Friderici
II. ad Henricum Ranzouium, in quibus ipsum consolatur de
obitu filij Friderici, sub dato Anderschou 30. Martij, Anno
1588. Rex autem ipse paulò post 4. Aprilis eodem anno
placide obiit, & hanc mortalem vitam cum
cœlesti commutauit.

FRIDERICVS Dei gratia Rex Daniæ, &c.

Nobilis præclare sincereq; nobis dile-
cte: Filium tuum Fridericum in Gallia pe-
rijsse non sine animi perturbatione audi-
uimus, si Deo ita visum fuisset, sanè diu-
turniorem vitam ex animo ipsi optasse-
mus. Cum autem huiusmodi casus im-
mutari nequeant, DEO OPT. MAX. qui
vnicuiq; certum vitæ terminum præfixit,
liberam de his disponendi potestatem æ-
quo animo permittere tenemur. Commi-
seratione tamen Regia ac pia ob hunc tri-
stem casum tuum afficimur, teq; beneuo-
lencia Regia prosequentes Deo immortali
commendamus. Datum Anderschouij,
30. Martij Anno 88.

QVÆRE-

QVRELA

HENRICI RANZOVII,
Regij Vicarij, de obitu Serenissimi Regis
Daniæ, Friderici II. nec non filiorum,
qui omnes vnus anni spacio obie-
runt, versibus etiam con-
scripta.

*Fata mei Regis dum tristia mente reuoluo,
Huc ades incomptis mæsta Elegia comis.
Inq̄ statu mesero dicta mihi flebile carmen,
Est tibi nunc ratio sortis habenda mea.
Nam mihi diuersi sexus duo pignora lecti,
Nam mihi mors neptem, mors inopina rapit.
Hinc mea mens acri quàm sit concussa dolore,
Lingua viri certè promere nulla potest.
In partes aliquid cor dissultasse putavi,
Et pars abrumpi corpore visa meo est.
Tam dolor inuasit vehemens me morte meorum,
Quod fuerant anima pignora grata mea.
Si mihi mors vnâ rapuisset lurida prolem
Ut quærerer causa quis satis esse neget?
Nunc tres abripuit, tres vno absorpsit in anno,
Iure igitur summo, lugeo, iure queror.*

Filia

a Anno 87.

26. Maij.

b Anno 88.

20. Ian.

c Anno 87.

29. Nou.

d Anno 88.

4. April.

a *Filia prima fuit,* *b* *neptis fuit altera, nunc est**c* *Filius, heu, luctus tertia causa mei.**Quarta fuit* *d* *Regis mors immatura potentis,**Qui placida rexit Danica sceptram manu.**Accidit hoc nunquam casus mihi tristior ullus,**Donec in hoc fragili corpore vita fuit.**Verus enim Patriæ pater & fidiſſimus almæ**Iuſticiæ cultor, Rex Fridericus erat.**Et quia terrarum & Dominus maris extitit idem**Regibus externis terror & horror erat.**Heu mihi, quòd ſeruus Domini poſt funera viuo,**Debueras noſtro Rex ſuperſeſſe rogo.**Heu mihi, quod tumulum tibi do cariffime fili,**Iuſtaq; perficio non facienda ſenex.**Tu mihi debueras tumulum dare, Iuſtaq; patri,**Ac ea nunc miſero me tribuente capis.**Sic fuit in fatiſ Rex, natus, filia, neptis**Acciperent, merito quæ dare debuerant.**Nec fratris melior ſors, ſi modò viueret, eſſet,**Accedit noſtris hæc quoq; cauſa malis.**Nam de natorum numero, quos ipſe reliquit,**Abſtulit heu, ſubitò mors quoq; ſeua duos.**a* Anno 87.

24. Nou.

b Anno 88.

13. Ian.

*Proh dolor, hiſ etiam duriffima fata negarunt,**Defuncti ut patria contegerentur humo.**Namque dedit tumulum *a* Danieli Gallia, *b* Iapum**Terra*

Terra Polonorum feruida, Marte tegit.
 Sed satis est vanas sic effudisse querelas,
 Est mihi quod luctum mitiget usq; grauem.
 Scilicet hac veteri stant fata ita condita lege:
 Optima prima cadunt, pessima salua manent.
 Sic Paris exequias fieri super Hectore vidit,
 Sic perijt Paulus, Varro superstes erat.
 Sic quoq; Christophorus perijt Rex Danicus olim,
 Qui plures annos viuere dignus erat.
 Sic Ladislaus perijt iuuenilibus annis,
 Qui Rex haud tenuit scepra Bohemia diu.
 Sic etiam Caesar prima sub flore iuuenta,
 Albertus tristi funere raptus obit.
 Hoc tamen in luctu me consolatur acerbo,
 Ad metam properat, quod mea vita suam.
 Intueor portum, quod corpora nostra resurgent
 Lucida in aduentu, Christe benigne, tuo.
 Cum dabitur iustis (veluti sacra pagina spondet)
 In regno summi vita beata Dei.
 Tunc mihi restituet Dominus clemensq; potensq;
 Quoscunq; eripuit mors inimica mihi.
 Sic etiam Regem, quem Dania luget ademptum,
 Quo mihi non vllus charior esse potest.
 Sed nunc ut reliquos, oro, dum vixero, serues
 Incolumes, regnas, qui sine fine Deus.

*Heredemq̄ sacro tuearis nomine Regni,
Electi Regis, qui modò nomen habet.
At quæ nunc patulas mihi vox defertur ad aures,
Anscultare libet, quid velit illa sibi.*

Responsio & consolatio Filiorum

ad

HENRICVM RANZOVIVM.

*Parce tuam genitor fletu cruciare senectam,
Æqua mente decet tristia fata pati.
Nil profunt lacrymæ, nam seruant fata rigorem:
Facta infecta potest reddere nullus homo.
Et quam nos hodiè calcauimus, ecce futuro
Tempore, victuris ista terenda via est.
Faxit, ne posthac similem experiare dolorem,
Tollere vel nutu qui mala cuncta potest.
Progeniemq̄ tuam Solis quæ vescitur aura,
Sospitet immensa pro bonitate, Deus.
Et nostræ rapuit, quod mors inopina iuuenta,
Hoc Deus ulterius proroget ipse tibi.
Nos sumus in requie, portumq̄ inuenimus, ergò
Parce tibi genitor, quæ sumus atq̄ vale.*

Confo-

Consolatio Regis, ad Henricum
Ranzouium.

*Subdite chare tuum tandem compeſce dolorem
Cuncta ſub Imperio mors tenet atra ſuo.
Et ſtatuit cunctis metam Deus optimus alma
Vita, quam nullus tranſgredietur homo.
Præterea eſt nobis proles generoſa ſuperſtes,
Quæ diſcet rectè fortia facta ſequi.
Hanc veſtra mando fidei, tu deſere nunquam,
Donec in hoc vitæ tramite ſoſpes eris.
Vos, patriam repetens, triſti tellure relinquo,
Me tenet alma quies, vos lacrymoſa dies.*

H. R.

Epigramma de Morte.

*Horrida res illis mors eſt & peſſima quorum
In vitæ non ſunt nomina ſcripta libro:
Optima res illis ac iucundiſſima mors eſt,
Qui Chriſto fidunt, ſpemq; ſalutis habent.
Ergo nil trepida, cum mortis venerit hora,
Qui certam vitæ ſpem melioris habes.
Non horres ſomnum quærens intrare cubile,
Atq; tuo placidè ponere membra thoro.*

I 2

Ergo

Ergo nec moriens debes horrere sepulcrum,
 Nam quo te recrees, hîc tibi somnus erit.
 Matris ut in gremio recreatur suauiter infans,
 Dum breuis instaurat membra tenella sopor:
 Sic recreabuntur dulci tua membra quiete,
 Effossa fueris cum tumulatus humo.
 Hîc tibi nec cura, nec tædia temporis ulla
 Nec quicquam quod te, ledere possit erit.
 Hîc tibi quos suauis somno transegeris annos
 Si credis, modici temporis instar erunt.
 Nec tamen in gremio terræ sine fine manebis,
 Ast aliò Christus te tua vita trahet.
 Cum tuba cælestis spaciosum perstrepet orbem
 Atq; nouæ vitæ dux manifestus erit.
 Tunc postquam reprobos nigro concluderit orco,
 Donabit gratis cælica regna tibi.

Emblema

HENRICI RANZOVII

Regij Daniae Vicarij

Pictura.

Cranio super impositum Horologium, spicis tri-
 tici ex eo enascentibus:

Cum

Cum inscriptione

*DIES MORTIS ÆTERNÆ VITÆ
NATALIS EST.*

*VLTIMA quæq; dies VITÆ, si credimus huius:
EST VITÆ nobis FONS ET ORIGO NOVÆ.*

De eodem Emblemate N. Reusneri
Epigramma.

*Quid Cranij sibi forma noui vult ista? quid hora?
Quidq; super Cranio vult noua nata seges?
Nempe DIES MORTIS VITÆ fit ORIGO per-
Qui moritur mundo nascitur ille Deo. (ennis
Scilicet hoc HENRICE placet tibi Symbolon, Heros
Inclyte: quod pietas suggerit ipsa tibi.
At tibi sera dies mortis tamen occidat, opto:
Ut sint virtuti tempora longa tua.
Ut quacunq; Deus te sponte beauerit hora
Æterna vitæ sit genitura dies.*

Eiusdem de eodem Symbolo.

*Summa dies mortis, vitæ natalis habetur
Æternæ: si vis viuere, disce mori.*

CARMEN HEROICVM.

EXEMPLIS ALIQVOT DE
 clarans, mensem Octobrem Familiæ Re-
 gum Daniæ plerumq; esse fatalem: Et il-
 los rarò excedere ætatis annos Climacte-
 ricos & enneaticos, ac inprimis sexagesi-
 mum tertium, scriptum sub finem mensis
 Ianuarij, Anno CIO. IO. XCVII.
 Cui accessit Elegia ad Henricum Ranzo-
 uium, de ætate ac anno obitus Re-
 gis Daniæ Friderici I.

*M*ensis annorum spacijs, quæ tempora menses
 Ausonij dixere, polo sua iura suasq;
 Esse potestates vitæq; necisq; ferendæ
 In mortale genus, prima inde ab origine mundi
 Non dubijs passim docet experientia signis:
 Nam licet assiduo penetrent mortalia cursu
 Ortus & interitus, nasci q; mori q; vicissim
 Humana de stirpe aliquos discrimine nullo
 Per lucem aspiciat semper Sol, luna per umbras;
 Sape tamen partus cognata & funera gentis
 Vicina aut sub idem plerumq; cadentia tempus
 Osten-

Ostendunt liquidè bisseis partibus anni
Fata ciere datum talesq̄ inducere casus.

An vero domus vlla rei presentius unquam
Fecerit indicium, quam nunc facit aurea regum
Progenies regum, septem subiecta trioni
Dania quos meritis virtutum & fortibus armis
Insignes veneratur ovans, & nomine tanto
Aduersum imperij famam protendit ad axem:
Tu mihi Ranzovidum decus Holsatæq̄ perennis
Nobilitatis honos, Henrice, & carminis huius
Autor ab antiquis deprome & dicito fastis.
Quippe ferè October mensis vim mortis & horam
Supremam gentis hac stirpe heroibus affert
Implens Arctoum luctuq̄ & fletibus orbem. (tas,

Vera loquor, nec, quæ loquor, vlla redarguet a-
Si modo venturos manet hac quoq̄ cura nepotes.

Nam quos non populos, quas non peruenit ad ur-
Anna iam pridem de funere nunciis Anna, (bes
Quæ germana fuit Friderici Regis, & vxor
Principis Augusti, dignissima fratre viroq̄
Fœmina, dum sanctas heroidas inter habere
Prima locum meruit rara virtute, pudicis
Moribus & magno vera pietatis amore?
Olli quas Titan sex astra decemq̄ peragrans
Respicit, Octobres lucem eripuerit Calenda.

Ecce

Anna filia
Christiani
II I. Augu-
sti Electoris
vxor.

Iohannes
Dux Holsa-
tiæ, vixit
annos 58.

Ecce autem duras nimium tristesq; calendas,
His Anna patruus, senior lustro ante Iohannes
Occiderat, Dux Holsatis iustissimus agris,
Dux placidus, metuensq; Dei, nutricius almæ
Christiadum & docta versantis in arte cateruæ,
Exemplumq; decens actæ sine coniuge vitæ.
Occidit his nuper Iohannis frater Adolphus
Occidit, atq; sua triplicauit morte dolorem.

Adolphus
Dux Holsa-
tiæ, vixit
annos 60.
menses 8.

Et dubitant homines stata credere iura dierum:
O rigidi mores, ô ferrea corda: quis illud
Spreuerit imperium, quod non euasit Adolphus
Dithmarsia domitor gentis, fortissimus heros?
Quem Mauors etiam sumtis trepidabat in armis
Hesperia sacrum belli arte ipsisq; Britannis?
O funeste dies? habuit te Roma nefastum,
Proinde ducū propter tot funera nunc quoq; Cimbris
Alter eris, signo semperq; notaberis atro.

Sed quid ego hîc autem solas incuso Calendas:
Sunt huius mensis plures de solibus equè
Ferales ijdemq; notis & crimine digni.

Qui producit enim medias quasi lucifer Idus,
Dux Megapoleos, princeps carissime Musis,
Udalrice, tori sociam tibi, protinus ortu
Quarto illo & decimo post letum fratris Adolphi,
Helisa-

Helisaben rapuit, decus admirabile sexus
 Et generis secliq; sui, nam filia regis
 Danorum, primi Fridrici, in praelia traxit
 Virtutum matres generosas, dote nec vlla
 Reginis cessit, quas aurea condidit aetas.

Cuius ego ad laudes si quicquam adiungere tendam,
 Arboribus frondes & messibus addere spicas,
 Oceano fluctus videar, noua sidera caelo,
 Surgit enim tantae virtutis gloria surgit
 Viribus ipsa suis, etiam doctissima vatum
 Musa Chytraeorum mellitaq; suada caseli
 Hanc famam e cultis Varni prodire rosetis,
 Aonidumq; iubent late volitare per hortos.
 Quin prole in Sophia praefulget imago parentis
 Helisabes Sophia Danis modo regia coniunx
 Quae viget, ac regi Friderico, ut Iuno secundo
 Nupta Ioui mirae bonitatis lumine regnum
 Ornat & ingenio mensuram nominis implet.

Quam te ergo memorem, tanta lux conscia cladis?
 Romulidis fueras lux intercisa: ne fastum
 Herulidae Cimbriq; ferent & semper acerbam
 Inclyta te pietas animosaq; Pallas habebunt.

Et vos o Nona dictas qui laberis Idus
 Septimus ante dies, fastus quondam vrbe Quirini,
 Vos quoq; nil mirum si Cimbrica dixerit atras
 Iam pridem & nigro signarit moesta lapillo.

Nam prope iam quartum terna ad quinquennia mensum
 Ille oculus mundi Sol & fons temporis addit,
 Ex quo dos superum vestro regina sub ortu
 Dorothea extincta est, animi matrona virilis,

K

Saxo.

Elisabetha
 filia Frideri-
 ci I. Regis
 Daniae con-
 iunx Vlteri-
 ci Ducis Me-
 gapolensis.

Saxoniæq; ducum sidus, socia optima regis,
 Faustum qui tenuit Christi de nomine nomen
 Tertius & tanta Friderico ex matre creato,
 Virtutum heredem regniq; reliquit, ab Aceto
 Quem velut admissis tardari nescia pennis
 Gloria per totum, quacunq; habitatur is, orbem.

Sed neq; tu nobis ter Nove indictus abibis
 Hoc in mense dies, quem non victoria ludis
 Ipsa suis, non conuentu lux candida seruat,
 Quin atri hac culpa titulos & signa reportes.

Qualis enim medio florens hyacinthus in ortu
 Falce resectus obit, blandumq; exspirat honorem:

Fridricus
 Dux Holsa-
 tiæ Episco-
 pus Hildese-
 mienfis, &
 Slesuicenfis
 coadiutor
 Bromenfis.

Sic olim moritur, dum tu iubar æthere tollis,

Hildeschemiacis Fridericus episcopus aruis,

Frater Iohannis, generosi frater Adolphi

Helisabesq; suo iuuenum pulcherrimus æuo.

Certa fides dictis; & qui videt omnia, Phœbo

Ante oculos res est, quamuis emensus ab illo

Tempore ter decies sua signa peregerit annum:

Quas ergo October tam parte infestus ab omni

Funereo toties contristas lumine sedes,

Hisne ego fatalem merito te dixero menssem,

Cimbrorum fastis dignum carbone notari?

Ac tuus is frater nono appellatus ab imbræ,

Quando tuis fati equalia fata ministrat.

Anne tuis signis equalia signa meretur?

Bis terris adeo quinquennis Olympias acta

Transiit alterius pleno anno in tempora lustræ,

Ex quo mense sub hoc gemine periere sorores.

Fata decem tantum spacio dirimente dierum.

Nam quæ post Idus Eos octava relucet,

Fridricæ

Fridrici natam regis primi abstulit Annam.
 Ast binos quæ luciferos præmittit eisdem
 Idibus, hæc Anna germanam funere merfit
 Dorotheam, diuum quæ dotatissima donis
 Heroïna, ducis. Phara denum fidaq; coniux
 Christophori, moriens animam tibi, Christe, sed urbi
 Gustrouia cineres, & famam credidit orbi.

Sed quid opus totum collecta referre per æuum
 Nomina, & antiquum verbis renouare dolorem?
 Sufficit hæc series, quod si quem euoluere porro
 Cimbrorum annales iuuat & primordia gentis.
 Multos prætereà poterit cognoscere reges
 Mensibus his dulci defunctos munere vitæ.

Qui certas igitur vires & iura diebus
 Detrahis, aut nimia præ religionem meatus
 Obseruare poli quesitum oracula terris
 Stulticiam esse putas pietate fideq; beatos
 Quæ facit, indignam, vel qui mera somnia credis
 Præstigijsq; leues alto præsagia cælo
 Ingenijs hominum deducta, monentibus astris:
 Nonne vides, ut te veri experientia falsum
 Arguat, ut sanè penitus rationis egentem?

Tot rerum tantaq; vices, quas sidera mundo
 Portendunt, vatum ad prædicta prioribus annis
 Euentus habuere suos: vsuq; magistro
 Discimus his ipsi, discet venientibus annis
 Sedula posteritas, quod in infera quaq; perennis
 Imperij fatale gerant supera omnia sceptrum.

Ac (ne mutato diuertar in auia cursu)
 Illud ad exempli lumen, certisq; probandum

K 2

Nostra

Dorothea
 filia Frideri-
 ci I. con-
 iunx Chri-
 stophori
 Ducis Me-
 gapolensis.

Nostra exorsa notis faciet, quod scansilis annus,
 Septenni ille gradu pariter pariterq̄, nouenni
 Consurgens, annisq̄ tribus quinquennia vita
 Bissena excedens raro superatur ab illis
 Regibus (ut constat) comitum de gente vetusta
 Oldenburga domus quos non sine numine seclum
 Ante vnum & menses triginta ac insuper octo
 Misit in Arctoum Frisiorum à sinibus orbem.

Christ. I.
 Rex Daniæ
 vixit annos
 56.

Horum primus enim dictus de nomine Christi
 Christiades, animi prestans & corporis heros,
 Triginta postquam regnarat quatuor annos,
 Per septena moræ vestigia climacterem
 Octauum ingressus, superas concedit ad arces
 Et nato sceptrum tradit regniq̄ coronam.

Iohna.
 Rex Daniæ
 vixit annos
 58.

Is vero, auspicijs cælo indulgente, Iohannis
 Nomen & omen habens famosa à margine Balthes
 Ad mare Hyperboreum, Normannum ab littoris ora
 Occidua stagnum fines extendit ad album,
 Tergeminoq̄, sacros cinxit diademate crines.

Nec tamen erectas supra contingere metas
 Nec rigidas potuit fatorum euincere leges.
 Cessit enim vita, terrenaq̄, scepra relinquens
 Vt patris ætatem binis superauerat annis,
 Sic patris imperio totidem superatur in annos.

Frideri. I.
 Rex Daniæ
 vixit annos
 56.

Hunc sequitur frater, Friderici nomine primus,
 Quartus in imperio, denos qui rexerat annos,
 Cum patre æquæ vitæ exhalauit in auras.

Christ. III.
 Rex Daniæ
 vixit annos
 56.

Quintus item regni sed Christi nominis heres
 Tertius, ambiguum magis an pietate vel armis
 Egregius, studijs Astrææ an amore Mineræ,

Bis simul vndenos reuolutis mensibus orbes
 Imperio expleuit, per ineuitabile mortis
 Tendit iter cælo, & quem nomine reddidit, usu
 Lucis auum moriens & tempore funeris equal.

Deinde huius fratrem, natumq; duasq; sorores
 Mors quoq; præscriptos intra occupat improba fines.
 Nam dux Holsata senior sub gente Iohannes
 Sexaginta annos & menses viderat oëto
 Compleri, letho cum lumina solueret: Anna
 Principis Augusti coniux post dena secundo
 Lustra obit autumnno: post sex septennia quinto
 Dorothea abscessu luna, ducis inclyta consors
 Christophori Megelaburda: finem inde sub ipsum
 Aduentans, positoq; pedem pro limine figens
 Helisabe, Vlrici socia illa ter optima, vitam
 Reddidit hac ipsa, qua vitam acceperat, hora.

Quid vero censes, fieri num talia casu
 Aut nulla dicis ratione nec ordine certo
 Hæc euenta vnum toties seruare tenorem?
 Aufer opinatus animi tam futilis, aufer
 Ignauas voces annorum tempora vires,
 Aetheris insinuant terris, magnosq; vigoris
 Conuersa efficiunt humano in corpore motus,
 Vitalesq; faces gignunt genitasq; resoluunt.
 Hinc quibus est series & origo sanguinis vna,
 Par fortuna ferè, par meta modusq; laborum
 Excipit, ac simili fato traducitur æuum.
 Non tamen idcirco tam verum hoc vertitur omen
 In consanguineos, affinia fata vereri
 Vt quisquam instituat, vel non superabile tempus

K 3

Definire

Iohan:
 Dux Holsatæ
 vixit annos
 59.
 Anna soror
 Fri. 2. vixit
 annos 52.
 Doro. filia
 Fr. I. vixit
 annos 47.

Elisabeta fi-
 lia Fri: 1. v-
 xor Vdalrici
 mater So-
 phiæ, reginæ
 Daniæ vixit
 annos 62.

Definire sua, cognato ex funere vite.

Error is à vera procul est ratione repulsus

Imperiumq; Dei propriumq; euertit honorem.

Astra mouent animos, mouet orbita temporis artus

Semina nunc vite miscens nunc semina lethi:

Attamen ipse suo frenat Deus utraq; nutu,

Et quocunq; libet flexis inclinat habenis.

Sicut enim certis natura agit omnia metis

Et medijs, cæco ferri mortalia casu

Nec sinit, aut dubia versari turbine sortis:

Sic libertatem pronumq; tuetur agendi

Per causas præter causas contraq; secundas

Arbitrium, & magno fatorum claustra cœrcens

Numine, si visum est, & fert ita corde voluntas

Aut pietatis honos, ad vota precesq; suorum

Sistit equos Solis, mediosq; debiscere fluctus

Mandat & in gemini faciem consistere montis,

Horarumq; retrò subigens vestigia multos

Decursum ætatis spacium producit in annos,

Hoc equidem sensu cælum indagamus & astra,

Hoc sensu infusas vires variabilis anni

Partibus asserimus verbis usuq; probamus,

Non, quod naturam, quo sit primum illa creata

Fœdere, sic in eo sit perdurare necessum,

Et sic sorte data cursus lustrare perennes

Immotam, ut nihil hic fati auulsa voluntas

Consiliumq; Dei mutare, inhibere, ciere,

Nec validas aui valeat rescindere leges.

Et quia certa tenet nostram fiducia mentem

Fata pijs votis vertiq; regi, vocatus,

Accipi-

*Accipiente Deo: passis ad sidera palmis
 Christe tuum numen fatali hoc cardine rerum
 Poscimus, ac gemitu multo lacrymisq; rogamus,
 Tu prohibeto minas, tristeisq; auertito casus,
 Tu placidus seruato pios: tege sanguine natum
 Iam dicto regem Fridericum, qui gregis altor
 Defensorq; tui supremus in orbe Boreo
 Vindicat Eunomia cultus virtutis honorem
 Vindicat & vita rectrices excolit artes.
 Orna hoc Christe caput, rerumq; in culmine florens
 Coniuge cum Sophia generosa & prole reserua.*

ELEGIA

AD MAGNIFICVM ET VERE NOBI-
 lem, Dominum Henricum Ranzouium, Serenissimi
 Danorum Regis vicarium, &c.

Nestor & alter Atlas Henrice, vicarie Danum
 Regis & Holsatae nobilitatis apex.
 Post semel emeritis elapsam cursibus annuum
 Extremum mensis tertius vrget iter.
 Ex quo fatalis signavi carmine mensis,
 Nomen ab Octauo qui gerit imbre, dies.
 Id tibi tum specimen nostri triuiale laboris
 Ausa fuit paucis Musa dicare modis.
 Hos nunc illa dolens, hos ab, gemebunda retexit
 Temporibus filo conueniente suis.

Tunc

Tunc superabit enim pius & ter maximus heros
Solamen luctus qui Fridericus erat.

Is iam spe citius mortis fera spicula sensit,
Nostraq; precipites vota tulere Noti.
Optabamus enim longos superesset ut annos
Sol velut Arctoe fulgidus ille plage.

Sed minus hunc terris invidit regia cæli,
Eripuitq; suis (prò dolor) ante diem.

Ac malè ne firmo rerum fundamine nitar
Dum probo Cimbrorum fata propinqua Ducum,
Hic quoq; mors nostris pondus graue versibus affert,
Maiorem voto conciliatq; fidem.

Frideric. 1.
Rex Daniæ.

Nec Fridericus enim metam rex contigit eui,
Quam reges Cimbro vix superare fero.
Lustris namq; decem iungebat quatuor annos
Lucida dum subiens astra reliquit humum.
Adde, quod Octobri, mensisq; prioris in ipso
Fine capit morbi semina prima sui.

Ergo meis numeris cum vis sua sic quoq; constet,
Hos iterum fidei mando sacroq; tua.

Est humilis, fateor, tantisq; paratibus impar
Neuta, nec tumulis tot bene digna Ducum.

Quod ni mens fallat, moremq; licentia mutet
Censura subdens non sua scripta sue:

Ridiculus multis vlulam memorabor Athenas,
Qui mittam Musis carmen inane tuis.

Sed memoror, mihi Ranzuo parere decorum,
Quicquid Aristarchi linea damnet, erit.

Tu modo Mecænas animum ne sperne clientis,
Qui cupit ad nutum qualibet ire tuum.

Tempora

RANZ...
70




EMORIAM HO-
las... Ab...
B...
...
...




SACELLVM IN PERPE-
noris, virtutis, D. Friderici. II. Da
Ranzouio, eiusdem vicario, Do
impensis in via Regia prope
Domini 1588, Annum Aeta

TVAM MEMORIAM HO-
norum Regis, &c. Ab Henrico
mino in Bredenberch proprijs
Segebergam extructum. Anno
tis agens 63.






IN PERPETUUM
SACRILEGII, HETICIAN, DA
SACRILEGII, HETICIAN, DA
SACRILEGII, HETICIAN, DA
SACRILEGII, HETICIAN, DA
SACRILEGII, HETICIAN, DA



1



Frideric. 7.
Rex Daniæ.



MAY
domin R
mino in
Segebr
Frideric. 7.
Rex Daniæ.

AGELLVM IN PRPPE
viciniam D. Fridrici. n. Da
viciniam vicario. Do
viciniam in vic. prop
viciniam 12. 8. 8. Viciniam



*Tempora sic videas cum coniuge lata senectæ,
Nec desit membris ingenioq; vigor.
Sic tua progenies, cognataq; Ranzouiorum
Christiade vigeat sospite rege domus.*

T. Magnifi:
Officiosè colens
Christoph: Siluius
Hamburgensis.

ELEGIA ALIA,
DE MENSE OCTOBRI, QVOD IS FAMILIÆ
Regum Daniæ plerunq; sit fatalis.

October mensis calamo signabitur atro:
Sapius hic etenim tristia fata tulit.
Quæ quia disparibus numeris comprehendere conor,
His clemens cæptis annue Christe meis.
Omne licet tempus mortales eximat orbe
Ac nulli mortis nota sit hora viro:
Ni Deus Omnipotens motus bonitate paterna,
Hanc monstret famulis cælitus ipse suis.
Testatur liquido tamen experientia rerum
Non unum cunctis mensibus esse statum.
Regibus hic nec non duci fatalior illo est,
Existens luctus fons & origo grauis.
Quis negat Octobrem fatalem Regibus esse
Frugifera Daniæ qui pia sceptrâ tenent.
Namq; dies secum, quos dixeris esse noui, vos
Magnatum propter funera maesta, trahit.

L

Primus

- Anna con-
 iunx Augu-
 sti Electoris
 Saxonie
 Friderici II.
 Regis Da-
 niae soror,
 mortua est
 primo Octo-
 bris.
 Adolphus
 Dux Holfa-
 tiae Friderici
 primi filius
 mortuus
 primo Octo-
 bris.
 Ioannes
 Dux Holfa-
 tiae, Frideri-
 ci primi fili-
 us obiit se-
 cundo Octo-
 bris.
 Dorothea
 Christiani
 tertij vxor
 mortua 7.
 Octobris.
 Elisabetha
 filia Friderici
 I. vxor Vdal-
 rici Principis
 Megapolen-
 sis, perijt 14.
 Octobr. die
 & hora qui-
 bus nata fu-
 rat.
- Primus in hoc quam sit tristis fatalis, acerbus,
 Quam secum casus traxerit ipse graues,
 Nouit Saxonie Electoris masculus haeres,
 Ob matris mortem passus acerba sua.
 Regis erat Daniae Soror haec, cui secula nostra
 Non similem studio religionis habent.
 Holsatia testatur idem nunc undiq; luctus,
 Quem patitur propter fata inopina Ducis.
 In quo certarunt Pietas, Clementia, Candor
 Iusticiae studium nobile, pacis amor.
 Quod talis fuerit, quem nunc lugemus Adolphus,
 Sana cui mens est nemo negare potest.
 Proximus hoc in mense dies memorabilis aequae
 Est obitu factus fratris, Adolphe, tui.
 Quem non dissimili, quo nunc se conficit orba
 Holsatia, luctu, terra secuta fuit.
 Nam quoq; dignus erat, quem sic lugeret ademptum
 Luctus nil quamuis utilitatis habet.
 Septimus hoc in mense dies signetur eadem,
 Luctibus & lachrymis conueniente nota.
 Est quia fatalis, Daniae ceu regia nouit,
 Ex obitu Dominae reddita maesta sua.
 Reginae puto, quae propter pietatis amorem,
 Dorothea à summi munere dicta Dei est.
 Infelix etiam, dum tristia fata reuoluo,
 A decimo quartus noscitur esse dies.
 Hoc etenim regis Friderici filia primi
 Causa noui luctus, Elisabetha, fuit.
 Dum sua mortali naturae debita soluit
 Occubuitq; velut falce resecta seges.*

Insuper


*Insuper Octobri plures ac mense Nouembri
 In Dania reges occubuisse, liquet.
 Sic & Reginas: quibus annumeranda videtur
 Dorothea, hoc regum sanguine creta pio:
 Quae fuit undecima sublata hinc luce Nouembris
 Christophoriq; Ducis nupta pudica fuit.
 Quem Dominum agnoscit praecleara Megapolis ora,
 Officioq; sibi coueniente colit.
 Sed reliquas omnes nimis & pertexere longum
 Ponenda est elegis certa q; meta meis.*

Dorothea
 filia Frideri-
 ci. coniunx
 Christopho-
 ri Ducis Me-
 gapolensis
 perijt vnde-
 cimo Ne-
 uembris.

*Tu pie Christe pium Daniae defendito regem,
 Ac omnes magna pro pietate, suos.*

INCEPIT MORBUS SERENISSIMI RE-
 gis Secundi, 3. Octobris in praedio Neugart & quan-
 quam aliquo modo denuò conualuit, tamen ex eo tempo-
 re nunquam pristinae Valetudini est restitutus, Sed tandem
 in arce Anderschou 4. Aprilis annum agens Enneaticum
 54. Cùm regnasset annos 29. obijt. Ex quibus vt & supe-
 rioribus versibus patet congruere huius Serenissimi Regis
 mortem, ætatem & annos gubernationis ferè cum præde-
 cessorum suorum Illustrissimæ ac piæ memoriæ annis.

**LIPSIÆ, EX OFFICINA TYPOGRA-
 FIA, ABRAHAMI LAMBERGI.**



Titel / Tafel

DESCRIPTIO

Pompæ funebris,

HABITÆ RODTSCHILDII,
IN EXEQVIIS SERENISSIMI AC
potentissimi Domini, Dn. FRIDERICI II. Daniæ,
Norvvegiæ, Gothorum Vandalorumq; Regis, &c.
Vna cum Epitaphijs nonnullis
in obitum eiusdem.

QVIBVS ADIECTA SVNT

DESCRIPTIO SACELLI PROPE
*Monasterium Segebergense in memoriam perpetuam
prænominatæ Serenissimæ Regiæ Maiest. & emolumentum
pauperum Segebergensium:*

A B

HENRICO RANZOVIO, REGIO PER
Holsatiam vicario, proprijs expensis extructi, vna cum
marmorum lapidumq; eiusdem inscriptionibus ac Epigramma-
tibus, tam interioribus, quàm exterioribus.

*Nec non Epicedia quædam Friderici Ranzonij, ac Catharinæ
Ranzoniæ, dicti regij Gubernatoris, liberorum.*

I 5

8 8.



L I P S I Æ, Cum Priuilegio.



12

